

rere miraculis, ita ut cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam restitueret, variis languoribus opprèssos etiam spiritus ex hominum corporibus egeret. Hujusmodi vero miracula vitæ innocentia et puritas comitabantur, nec a verbi Dei prædicatione, etiam cum vitæ discrimine, quando se ei præbèbat occasio (cum martyrii cupidissimus esset) cessabat. In eo munere cum aliquando siti laboraret, elevatis ad cælum oculis Deum precatus, bâculo, cui innitebatur, terram percussit, ex qua illico fons emanavit, quo ipse et alii multi sitim exstinxerunt.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

Aliquot post annos ad natâle solum reversus, et a patruo susceptus, aliquamdiu cum eo vixit; sed iterum, quod Christianus et regiae majestatis reus esset accusatus, in tenebricosum carcerem (qui spelunca votiva dicebatur) compedibus ligatus, sine cibo et potu conjicitur. Post septem dies rex carcerem adiit, existimans juvenem jam inedia mortuum fuisse. Quem cum incolu-

mem invenisset, quinimo puerum nobilem Almachium pondus vinculorum ejus sustentantem comperisset, id magicæ arti tribuens, puerum e rupe præcipitari, et beatum Antoninum gravioribus vinculis astringi jussit. Interim rex in bello periit, puer vero præcipitatus illæsus repertus est, et beatus Antoninus ab Angelo, solutis compedibus (ut alter Petrus) liberatus, liberius cepit Christianos victos in carcere, et extra in fide catholica confirmare. Cum autem Theodorico successisset in regnum Gallatus, Antonini consanguineus, et majores in Christianos persecutiones excitaret, Antoninus a piis viris ab ira regis ereptus, Pamiam in solitudinem secëssit: ubi et Almachium puerum reperit.

R. Desiderium.

Lectio vij.

Ibi in spelunca (quæ Orientalis dicebatur) prope fontem simul in orationibus, et jejuniis se exercentes, ab omni hominum conversatione semoti, diu commorati sunt. Illis paulo post quidam Joannes Præbyter divino instinctu, simul futurus

Martyr, adjungitur. Nam cum venatores regii ex insperato eos reperissent, et Antoninum cognovissent, ad regem deferunt. Qui ad se perductum Antoninum sic alloquitur: Quæ te demencia, Antonine, cepit, ut tui generis oblitus tuis præstigiis homines dementes et regnum nostrum perturbes? Cui Antoninus: Non ego, Gallati, quemquam demento, sed unum Deum, cujus est regnum et imperium, prædico; tuos autem, quos colis, deos ligneos et lapideos, ut falsos et inanes respuo. His verbis ira inflammatus rex illico eum cum sociis capite plecti, et in flumen (cui nomen Arëgia) projici jubet. Eorum corpora a Christianis inventa honorifice condita sunt: et sancti Antonini dexter humerus cum brachio, qui insimul etiam cum capite, feroci ictu cum feriretur, abscissus fuerat, in ecclesia Palentina, cujus patronus existit, ex multo tempore magna cum veneratione asservatur: ad cujus tactum puer mortuus, qui multitudine populi, sanctas reliquias subsequens, in sinu matris oppressus fuerat, statim revixit.

Cum etiam Sancius, Castellæ primus rex, dum venaretur, aprum, qui in antrum confugerat, et cuidam ibidem imagini inhærebat, ferire vellet statimque ei brachium obriguisset; comperto quod illa esset sancti Antonini imago, in cujus honorem locus habebatur, poenitens facti rex, vovit Martyri templum ibi erigere, et illico brachium pristinae sanitati restituitur. Quare eo loco magnificentissimam ecclesiam sancti Antonini nomine ædificavit, ædiculam vero antri, ut hodie visitur, sub ipsa ecclesia intactam reliquit.

R. Stola.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij.

Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 51. in Joann. sub medium.



Pse Dominus Jesus erat granum mortificandum, et multiplicandum: mortifi-

cándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhortans ad passiónis suæ sectánda vestigia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet : id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas : noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

R. Coróna áurea.

Lectio viij.

HOC autem, quod potestérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet : qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemámodum sit hóminis in ánimam suam amor, ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odisti : si bene óderis, tunc amásti. Felices, qui odé-

runt custodiéndó, ne perdant amándó.

R. Hic est vere.

Lectio ix.

SED vide ne tibi subrepat, ut teipsum velis interímere, sic intelligéndó, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi hómines, et in seipsis crudelióres et sceleratióres homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diabolo præcipitium suggerénti respondit, Redi retro sátana : scriptum est, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificáturus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seipso, sed ab álio debére occidi, qui vestigia séquitur Christi.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE III. SEPTEMBRIS.

Octava

S. Josephi Calasanctii.

In diversis, Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

SAcram venite supplices

Joséphi ad aram, párvuli, Quos ille primos ádvocat, Primóque amóre diligit. Veníte, castæ Vírgines, Quarum pericla depulit, Omnisque turba páuperum

Verbo refécta, et pábulo.

Veníte quotquot fáucibus Mortis benignus abstulit, Unáque Joseph débitum Hymni tribútum sólvite.

Quod caritátis ignibus Medúlla cordis árselit; Quod castitátis lílium Non fœda sordes læserit.

Laudáte robur pectoris, Quo mille firmus pertulit Sævi furóris víctima, Hostílis arcus spícula.

Fecúnda linguæ ríuina, Corpus flagéllis sáacium, Fractum fame et labóribus,

Cantáte laudis cántico. Deo Patri cum Filio, Tibique, sancte Spiritus, Sicut fuit, sic júgiter

Sæclum per omne glória. Amen.

R. Amávit eum. **Ad Magnif. Añá.** Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos : tálium est enim regnum Dei.

Oratio.

DEus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ, ac pietátis juventútem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providére dignátus es : præsta quæsumus, nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Commem. præcedentis.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

MOre lux festo celebránda fulget : Templa Josépho rénovent honóres :

Cóncinat laudes chorus omnis : auras Thura vapórent.

Diva crescéntem ténaris ab annis Carítas fovit, superóque pectus

Igne collústrans, dócilem per alta Duxit álumnum.

Sensa montánæ truculénta plebis Voce mulcéntem stúpuit Pyréne;

Dira Josépho pósuit tonánte Bárcinon arma.

Ira nec Tibris, neque pestis altra Pródigum vitæ facies retárdat :

Pervolat passim, miserisque dextram

Tendit amicam.

Quin et inférni rábiem tyránni

Sprevit invictus patiénter heros,

Et sibi clarum péperit secúndi

Nomen Ióbi.

Donec aetérnum recolátur ævum,

Sint tibi plausus, tibi sint honóres,

Cuncta qui nutu moderáris æquo

Trinus et unus. Amen.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Bulla Canonizatiónis.

Leccio iv.

Eoram Josépho nemo erat, qui impudénter dicere áliquid, vel indecóre fáctore audéret. Tam spectátam virtútem ac præsertim ánimi castimóniam tetérrimus humáni géneris hostis ferre non póterat. Itaque ad eam labefactándam usus est impudéntia nóbilis cújúsdam féminæ. Sed castissimus júvenis blandiéntis illécebras tanta ánimi exhorrescéntis constántia elúsit, ac réspuit ut non satis habéret, quod e domo illa tamquam ex infámi scópulo sese proripuisset;

nisi étiam ex urbe ipsa, uti præstitit, álio demigráret. **R.** Honéstum.

Leccio v.

Perácto studiórum currículo, láurea donátus, tamétsi nondum sacris májoribus initiátus ab Episcopo Jaccæ sócius labórum adscítus est, non sine magna dicecésis utilitáte. Jam vero mórtuo fratre sine liberis, a parénte in spem familiæ destinátus ad núptias, morbo interveniénte periculoso atque ancipiti, ab iis sese expédit. Cum enim ad mortem decumberet, fáctile a parénte Joséphus obtinuit, ut, si convalésce-ret, cælibem ágere vitam licéret. Itaque præter omnem opiniónem recuperáta valetúidine, sacrórum órdinum susceptiÓne totum se Deo mancipávit. Neque vero diu sibi uní vacávit. Cógnota enim illius píetas, sapiéntia, intégritas fecit, ut a plúribus Episcopis in pastorá-lis sollicitúdinis partem advocaré-tur. Quibus ille quidem non mediocri labórum fructu óperam egrégie navávit.

R. Amávit.

Leccio vj.

Barcinónem régia missus auctoritate, scissam in factiÓnes duas

civitátem, atque in mú-tuas mox cædes fœdissime ruitúram, (quod optáre magis, quam speráre cives possent) ad concórdiam et pacem consilio et fuis ad Deum précibus revocávit. Caritátis hoc et prudéntiæ; illud ánimi demissiónis fuit, quod ut parátos sibi honóres, defúgeret, óculis atque aspéctui plaudéntium sibi cí-vium sese subducens, Urgéllam statim revérsus est; a qua tamen, majus quoddam humilitáti suæ instáre ab rege periculum suspicátus, ob rem tantam jam pervulgátam, haud ita multo post proficiscens, ætátis suæ anno secúndo supra trigésimum Romam, quo divinitus vocabátur, se cóntulit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Leccio vij. Cap. 18.

In illo témpore : Accesserunt discipuli ad Jesum dicétes : Quis putas, major est in regno cœlórum? Et reliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi. In cap. 18.

Matth. Hom. 59.

Ervulum ætáte, et quidem mea senténtia valde párvulum, qui ab ómnibus

esset passióibus liber, in médio stáuit. Illa enim ætas omni arrogántia, omni glóriæ inánis furóre, omni livóris insánia, omni contentiÓnis cupiditate, ceterisque hujúsmodi affectibus immúnis est. Cumque præcipuis muniátur virtú-tibus, simplicitátis scilicet, ac humilitátis, de nulla istárum superbit, ita dú-plici philosophia ornátur. Nam et hæc bona póssidet, et nihil sibi propter hæc árrogat; his de causis in médio párvulum stáuit.

R. Iste est.

Leccio viij.

NEC sermónis hic finem fecit, sed ultérius admonitiÓnem producit, dicens : Et quicumque suscepérit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Non enim solum, inquit, magna erit merces vestra, si tales efficiémini, verum étiam si álios tales propter me honorábitis : propter vestrum erga illos honórem regnum vobis retribuétur, quodque óm-nium extrémum est, me ipsum suscipiétis. Ita vehementer humilitáte, et móribus, qui procul ab omni simulatiÓne absint, afficior.

R. Sint lumbi vestri præcincti.

Lectio tr.

Parvulus quidem hic simplices homines, quos multi spernunt, appellavit : hunc autem sermonem non premiis solum in animum penetrare facit, verum etiam terrore poenarum corroborat. Nam quemadmodum qui hos parvulos propter me honorant, cœlum possidebunt, inquit, imo vero cœlo quoque ipso majus aliquid, atque præstantius : sic et qui despiciunt, atque vituperant máximo plectentur supplicio. Vides quomodo radicitus arrogantiae tumorem evulsit? quomodo vanæ gloriæ ulciscuravit? Te Deum laudamus.

AD LAUDES,**Hymnus.**

Plebis ignaræ procul
ite questus :
Ecce doctrinæ jubar ap-
propinquat :
Ecce Joséphum pietas
Iberis
Evocat oris.
Ille desértum miserans
popellum,
Párvulis aptam réserat
palæstram,
Formet ut mentes, iter ac
beátas
Sternat ad arces.
Rite sub tanto fáciem mag-
gistro

Vulgus immutat : novus
ordo pagos

Expolit cunctos : placidis
renident

Móribus urbes.

Orbis exsultat, meritóque
plaudit

Gratus Auctóri : probat
ipsa Virgo

Lapsa de cœlo, beat. ac
benigno

Lumine pubem.

Donec ætérnum recolatur
ævum,

Sint tibi plausus, tibi sint
honóres,

Cuncta qui nutu moderá-
ris æquo

Trinus et unus. Amen.

V. Justum deduxit.

Ad Bened. Aña. Tam-
quam prodígium factus
sum multis, et tu adjutor
fortis.

IN II. VESPERIS.

Hymnus ut in primis.

V. Justum deduxit.

Ad Magnif. Aña. Spí-
ritus Dómini super me :
evangelizáre paupéribus
misit me.

EADEM DIE III. SEPT.

(Pro regno Valentino.)

BB Joannis et Petri

Martyrum. Duplex.

**Omnia de Comm. pluri-
morum Mart. præter seq.**

Oratio.

Concède, quæsumus
omnipotens Deus, in-
firmitáti nostræ præsi-

dium : ut sicut beatórum
Mártyrum tuórum Joán-
nis et Petri gloriámur
tríumphis, ita eórum con-
stántiam imitári non pi-
geat, quam celebráre de-
lectat. Per Dóminum.

Commem. præcedentis.

**In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.

**Ex Commentáriis sancti
Antonini Archiepiscopi
Florentíni de viris egré-
giis órdinis Minórum.**

Lectio ib.

**Chron. Part. 3. tit. 24.
cap. 7. § 14.**

Ruos fratres bea-
tissimus Pater
Franciscus ad re-
gnum Arragóniæ desti-
navit, fratrem scilicet
Joánnem (Perusinum) Sa-
cerdotem, et fratrem Pe-
trum (a Saxoferrato) con-
versum. Hi cum Turólium
devenissent, convéntum
ibi capiéntes, prædica-
tiónibus et oratiónibus
sue odórem sanctitátis
diffuderunt. Témpace illo,
scilicet anno Dómini mil-
lésimo ducentésimo trigé-
simo, vel circa, Valentia
civitas erat Sarracénis
populáta, et infidélium
Maurórum ditióni sub-
jécta : in qua regnábat
quidam, Azótus nómine,
Christianórum máximus
persecutor. Prædicti igi-

tur fratres, zelo fidei suc-
cénsi, et martyrii desidério
inflammáti, ad præ-
dicándum verbum Dei
Valéntiam sunt ingressi :
et ibi de falsitáte legis
Mahumétis Sarracénis
ferventer prædicavére.
Quod áudiens rex Azótus,
comprehéndi eos jussit, et
cárceri mancipári. Et cum
promissionibus plúrimis
invitáset eos ad legem
suam observándam, et
Christi fidem abnegán-
dam, illi autem hoc de-
testaréntur, in pública
platéa illos decollári man-
davit. Qui sepultúræ trá-
diti cœperunt miraculis
coruscáre.

R. Sancti tui.

Lectio v.

REX autem Arragó-
niæ christianíssi-
mus, Jacóbus nómine,
cum dicto rege Valentíæ
eo témpore bellum geré-
bat. Et ex quo rex Va-
lentíæ Azótus illos mar-
tyrio consummávit, in
dies cœpit inférior exsi-
stere, et ab eo superári in
bellis. Cum ergo vidéret
se Azótus quotidie a Chri-
stiánis expugnári, a grátia
divína et Dei virtúte sola
arbitrátus hoc fferi, cum
rege Arragónum tractáre
cœpit de sua conversiône
ad fidem, offerrens, se ei
civitátem traditúrum et

regnum, dummodo sibi vitam et victum concedere dignaretur decem. Quibus omnibus rex Arragonum annuens, et gaudens de sui conversione, confederatus est cum eo. Anno igitur Domini millesimo ducentesimo trigésimo octavo, in vigilia sancti Michaelis, ingreditur rex Arragoniae civitatem Valentiae, ejus dominium capiens. Rex prior Azotus juxta promissum baptismum suscepit: qui libere regi tradidit totum regnum suum, scilicet Valentiae. Converso autem ad fidem Azoto, rex Arragoniae concessit ei palatium regium intra civitatem, et quemdam comitatum, et successores suis: et cultu Mahumético de illa civitate Valentiae evacuato, introductus est ritus et fides Christianorum.

R. Verbera.

Lectio vij.

Vocavit autem Azotus fratres Minores, dicens eis: Ego sum, qui occidi fratres socios vestros de Turolio ex infidelitate mea, de quo dolo ex toto corde meo; et pro aliquali satisfactione vellem, quod palatium meum regale pro vestro monasterio construendo haberetis: et illud debetis

libenter accipere, quia ibi multus sanguis Martyrum effusus est per me, et alios priores dominos infideles: ut sit quasi totum sanguine Martyrum consecratum. Et beatus Vincencius Martyr, quem tota christianitas tanta veneratione festivat, pro fide martyrio ibi coronatus est. Quamobrem sitis solliciti dictum palatium a rege Arragonum postulare; et credo, quod vestrum desiderium, et meum adimpleret. Quod cum fecissent, et rex Arragonum Jacobus, Azotum, cui illud concesserat, hoc exoptare cognovisset, gaudiose concessit: sicque ibi est conventus ordinis Minorum. Cultum porro jam inde ab obitu laudatis Martyribus Joanni et Petro exhibitum et continenter auctum probatumque, Clemens undecimus ratum habuit, firmavitque. Benedictus autem tertius decimus Missam et Officium in universo Minorum ordine, tum etiam in civitatibus et diocesisibus, Valentina ubi passi sunt, Tulerensi ubi eorum corpora magna fidelium religione coluntur, nec non in Perusina, simulque in oppido Saxiferrati, ubi ortum

habuere, ritu duplici celebrandum indulget.

R. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno, Homil. Dominus ac Redemptor. de Communi.

R. vij. Haec est vera.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. Rosaliae

Virginis Panormitanae.

Semiduplex.

Omnia ut in fine Brevarii. Oratio j. loco.

EADEM DIE IV. SEPT.

Octava

S. Augustini

Episc. et Conf. Duplex.

(In Cathedr. Celson. et civit. Tarracon. tantum.)

Omnia ut in die Festo praeter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

Lectio id.

Ex Ep. 152. t. 2.

Sollicitissime cavendum est in docendo superbiae vitium, quod in discendo non ita est. Unde sancta Scriptura nos admonet, dicens: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum; et ille in Psalmo ait: Auditui meo dabis gaudium et laetitiam; continuoque

subjecit: Exsultabunt ossa humiliata. Vidit enim in audiendo facillime servari humilitatem, quae difficilis est in docendo: quoniam necesse est ut Doctor habeat superiorem locum, ubi laboriosum est obtinere, ne subrepat elatio.

R. Inveni David.

Lectio b.

In Ps. 129.

Ecce enim fratres mei, dico caritati vestrae: loquimur nos modo ad vos, ut aliquid doceamus vos, quanto melius, si omnes sciremus, et nemo doceret alterum, ut non esset alius loquens, alius audiens: sed omnes audientes unum illum, cui dicitur: Auditui meo dabis gaudium et laetitiam. Unde et ille Joannes non tam gauderet quia praedicabat, et quia loquebatur; sed gauderet quia audiebat. Ait enim: Amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Itaque ibi unusquisque probet se, non ut loquatur, sed ut de alio locutionis officium exigit. Gaudium autem taciturnitatis intus in voluntate habeat, vocem doctrinae in necessitate.

R. Posui adjutorium.

Lectio vij.
De Bapt. contra Donat.
cap. 5.

ET plerumque doctóribus minus áliquid revelátur, ut eórum pátiens et húmilis cáritas, in qua fructus major est, comprobétur, vel quómo- do téneant unitátem, cum in rebus obscurióribus divérsa séntiunt, vel quómo- modo accipiant veritátem, cum contra id, quod sentiébant, declarátum esse cognóscunt. Quorum duórum manifestum tenémus unum in beáto Cypriáno, id est, quómo- do tenuerit unitátem cum eis, a quibus divérsus sentiébant. Hómines enim sumus : unde áliquid áli- ter sápere quam res se habet, humana tentátio est. Nimis autem amándo sentétiám suam, vel in- vidéndo melióribus, usque ad sacrilégium pervenire, diabólica præsúptio est : in nullo autem áli- ter sápere quam resse habet, angélica perféctio est. **R.** Iste est.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangé-
lii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.
IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et reliqua.

De Homília sancti Joán-
nis Chrysóstomi.

Ex Homil. 15. in Matth.

Luceat lux vestra, hoc est, plúrima in vobis sit virtus, ac máxime ingens illius accendátur ignis, et ineffábile omnino lumen effúlgeat. Quando autem tam magna virtus fúerit et clara, latére non pót erit, etiámsi mille illam contégere velit modis ille, qui pössidet. Bene autem ait, Lumen : nihil est quod sic hóminem fáciat insi- gnem atque conspicuum, etiámsi magno ámbitu optet latére, ut splendor iste virtútis. Sicut enim ipso sole circumdatus, ita útique clarus effúlget, nec in terram solúmmodo rutilátus própria virtútis emittit, sed supra ipsum etiámsi cælum próprio ful- góre radiábit.

R. Amávit eum.

Lectio viij.

Hinc itaque illos ubé- rius consolátur. Etsi, inquit, maledicta in vos audiétes dolétis, habétis tamen plúrimos, quos ad amórem atque admira- tió- nem Dei vestro adducá- tis exémplo. Tunc enim multi erunt omnino mi- rantes, non útique vos tan- tum, sed per vos etiámsi Patrem vestrum. Nec di-

xit, Deum, sed Patrem; conferénda illius nobili- tátis prærógativam hoc jam nómine largiéndo. Considera, quantum istius- modi sit cómodum, quantum etiámsi discrimen. Si enim vitiis sordeámus, etiámsi nobis nullus ob- tréctet, érimus ómnibus miserióres. Si vero virtú- tibus splendére curémus, vel si totus mundus contra nos maledictis volúerit personáre, érimus ómnium beatissimi, atque ad nos trahémus omnes, qui ve- nire élégerint ad salútem. Omni quidem tuba docu- ménta sunt óperum cla- rióra, vitaque munda ipsa est luce fulgéntior.

R. In médio Ecclésiæ.

Lectio ix.

Ex Hom. 16. in Matth.

NON veni sólvete le- gem, sed implére. Legem vero non uno tan- tum, sed áliero, et tértio implévit modo. Uno qui- dem, quia nihil ex legíti- mis ipse transgréssus est; áliero vero, quia per nos quoque idípsum facit, quod Paulus significándo dicébat : Quóniam finis legis Christus ad justitiam omni credéti. Quod enim illa per lítteram non pó- tuit, hoc per fidem ipse confécit. Si vero áliquis di- ligénter exáminet, álium

quoque tértium modum impléte ab eo legis invé- niet. Quem vera istum? Ipsa útique prærépta, quæ erat datúrus. Non enim intéritus priórum, sed augméntum pótius et compleméntum erant ea, quæ dicebantur a Christo. Illius quippe sentétiæ, qua dicitur, Non occides, non intéritio, sed ad- implétió magis, atque munitio est, dicere, Non irascáris; omniúmque si- míliter ceterórum.

Te Deum laudámus.

Vesperæ a Capitulo de
sequenti, Commém. præ-
cedentis.

DIE V. SEPTEMBRIS.

In Commemoratione

S. Juliani

Episcopi Conchensis
et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
Pont. præter sequentia.
(m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui nos beáti Juliáni Confessóris tui atque Pontificis vene- ránda commemoratióne lætíficas : excita in nobis, quæsumus, ejus spíritum innocétiæ et caritátis, et præsta; ut cujus recó- limus mérita, per ejus ad te gradiámur exémp- la. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Leccio iv.

MUlianus, Ecclesiae
Conchensis Episcopus, Burgis piis
et honestis parentibus na-
tus est. Ejus ortum praec-
lara illius sanctitatis et
episcopalis dignitatis signa
divinitus data nobilita-
runt. Nam a deo formosus
et pulcher in lucem editus
est, ut omnes intuentes
os ejus, caelesti quodam
fulgore perfusum admira-
rentur. Multo magis vero,
cum puer grandior palam
super fontem baptismalem
tamdiu visus est mitra
et baculo, episcopali-
bus insignibus ornatus,
dum astantes admouit,
ut infanti Juliani nomen
imponerent. Postea pie
sanctaeque educatus, libe-
ralibusque disciplinis ap-
prime eruditus, theologiae
operam dedit, in qua plu-
rimum profecit. Itaque
probatae vitae exemplo,
et divini verbi praedica-
tione toti Hispaniae mi-
randum in modum pro-
fuit. Archidiaconi digni-
tate in Ecclesia Toletana
ornatus, ab Alphonso
deinceps nono, Castellae
rege, episcopale munus
suscipere coactus est,

quod summa cum laude
obivit. **R.** Inveni David.

Leccio v.

Vere pater pauperum
fuit: quippe qui
egentium, viduarum et
pupillorum inopiam pe-
cunia, et aliis pietatis
officiis sublevavit. Redi-
tus ecclesiae suae tum
sublevandis miseris, tum
instaurandis ornandisque
templis insumpsit: ipse
tenui victu contentus,
quem labore manuum
suarum comparabat. In
oratione assiduus erat:
cujus vi, paterna caritate
ardens, multa et magna
pro salute populi a Deo
impetravit. Quorum illa
in primis illustria: cum
aliquando tota provincia
rei frumentariae labora-
ret inopia, nec quidquam
amplius in episcopatus
horreis superesset, populi
calamitatem miseratus,
preces cum lacrymis ad
Deum fudit. Tunc pluri-
mum tritici ad aedes san-
cti Episcopi a permultis
jumentis comportatum
est, quae deposito onere
evanuerunt. Cumque item
dira in populum lues gras-
saretur, sancti Episcopi
oratione sedata est. Mul-
tos quoque, variis insana-
bilium morborum generi-
bus affectos, in sanitatem
restituit. **R.** Posui.

Leccio vj.

Super gregem suum
tamquam bonus et
sedulus pastor diligentis-
sime vigilavit: lupos ar-
cens ab ovibus, et oves
pascens verbo vitae, ci-
bum cuique tribuens pro
captu congruentem. Cor-
pus suum jejuniis assidue
castigans, seipsum bono-
rum operum exemplar in
omnibus praebuit. Deni-
que, cum annos fere octo-
ginta maxima cum sanc-
titate vixisset, plenus
dierum atque virtutum,
in senectute bona migra-
vit ad Dominum, quinto
Kalendas Februarii, anno
millésimo ducentésimo
octavo, et honorifice in
ecclesia sua sepultus, post
mortem quoque miracu-
lorum gloria clarus, ma-
gna populi veneratione
colitur. Anno postmodum
millésimo quingentésimo
decimo octavo, Leone deci-
mo Pontifice maximo, cor-
pus ejus e sacello, ubi mul-
tos jacuerat annos, effo-
sum, ad locum prope aram
maximam magnifice exor-
natum, tertio Idus Aprilis
solenni pompa ac maxima
celebritate translatum est.
Commemorationis ejus
quoque festivitas Nonis Se-
ptembris, ex Julii tertii sum-
mi Pontificis concessione
recolitur. **R.** Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia.
Pusillum gregem, de Com-
muni Conf. non Pontifi-
cis ij. loco cum **R.** de
Communi Confessoris Pon-
tificis.

DIE IX. SEPTEMBRIS.
S. Mariae a Capite
nuncupatae.

Duplex.

**Omnia de Communi nec
Virginum nec Martyrum
praeter sequentia.**

Añ. Simile est. **V.** Spe-
cie tua.

Oratio.

EXaudi nos, Deus sa-
lutaris noster: ut
sicut de beatae Mariae a
Capite festivitate gaudemus,
ita pie devotionis
erudiamur affectu. Per
Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Leccio iv.

Maria a Capite nun-
cupata, piis ho-
nestisque paren-
tibus orta, sancto Isidoro
Agricolae matrimonio jun-
cta fuit. Elucebat in ea
mira humilitas, patientia,
orationis studium, aliae-
que virtutes, quibus Do-
mino in saeculo strenue
militabat. Tandem plena
dierum, et meritorum ob-
dormivit in Domino. Ejus
sanctitatis fama ubique